UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.D. Iacobi Marchantii, Pastoris Et Decani Covviniensis SS. Theolog. Professoris, Rationale Evangelizantivm

Marchantius, Jacobus

Coloniae Agrippinae, 1661

Ad Divini Verbi Præcones Et Animarvm Pastores. Præfatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-56372

Visual Library

AD DIVINI VERBI PRÆCONES ET ANIMARVM PASTORES.

PRÆFATIO.

AD lucubrationes, novoſque labores, rurſus evocatis calamum ſtylumque meum, oppido laſſum, quietis cupidum, Typis nuncium remittere paratum. Sufficere cùm mihi, tum vobis debuerat, quod obviis ulnis excepiſtis *Hortum Paſtorum, Candelabrum Myſticum, Virgam Aaronis, Tubam Sacerdotalem* quibus poſt ſecundum in Belgio prælum & typum, Academia Pariſina tertium dedit, Gallicanæ Eccleſiæ Paſtoribus ut faceret ſatis. Sed ulterius urgetis ut *in Dominicas & Feſta Elucidationes* è Muſæi noſtri latebris emittam. Excuſavi me frequentius: tum quod non foret calamus meus *Calamus Scriba velociter ſcribentis*, ſed laborioſè cum valetudinis detrimento exarantis, nec cor meum, *Cor cum plenitudine ſpiritus verbum bonum eructantis*: tum quòd hoc foret *Actum agere*, quandoquidem innumeræ proſtent de his Commentationes & Conciones à doctiſſimis & diſertiſſimis. Interim, quia excuſationi locum negaſtis, aſſerentes inchoatam à me Paſtorum Inſtitutionem plenam fore, ſi & hic ſtudium recens impenderem, præteritoque Operi Coronidem hanc adponerem: en veſtris tandem obſequor votis, & Inſtructionis Paſtoralis annuum trado Curriculum, per Lectiones quaſi per Rotulas & Notulas more & ſtylo meo diſtinctum. Lectiones hæ copioſam materiam ſubminiſtrant, qua ſuopte quiſque ingenio Concionem vel exhortationem adornet. Id exiguo labore fieri poſſe reor, non quidem omnia à nobis dicta proponendo (nam pro variis varia dicenda fuere, & varius vario palato cibus fuit adponendus) ſed ſeligendo quæ ſunt accommodata ad propoſitum & auditorium.

Cæterùm, Opus iſtud vocavi *Rationale Evangelizantium*, alludendo ad antiquum illud Rationale Pontificis antiqui, cui inſcriptum erat. *Doctrina & Veritas*. Etenim ſi Sacerdoti Legali *Doctrina & Veritas*, pro Symbolo ſacro conſignabantur, Sacerdoti Evangelico quantò magis illud convenit? Hanc ergo utramque Sacerdos & pectori adpendere, & cordi adprimere, & verbis ac operibus debet exprimere. Quia verò de Rationali illo antiquo dictum eſt Moyſi: *Rationale facies judi-*
Exod. 28. *cii opere polymito, ex auro, hyacintho, & purpura coccoque bis tincto. & byſſo retorta.* Ideo Veritatem & Doctrinam Evangelicam hic propoſitam conatus ſum variis SS. Patrum documentis exornare, variiſque ſacrarum Hiſtoriarum fimbriis polymitis circumdare, ut non deeſſet decori hujus Rationalis purpura aut coccus bis tinctus ex Hiſtoriis Martyrum, nec aurum fulgidiſſimum ex vita & ſcriptis Apoſtolorum & Apoſtolicorum Virorum charitatis auro rutilantium, nec hyacinthus converſationis cœleſtis Confeſſorum, nec byſſus retorta & candida Virginum. Rogo interim, ut qui Rationale iſtud inſpecturus eſt, rationis æquo oculo intueatur, & nonnullus excuſet currentis Typographi litterales impactiones. Spero autem, ſi rationis lance Rationale hoc noſtrum expendatur, ſubſervire poſſe multa in illo ad moralis *Doctrinæ* elucidationem, & *Veritatis* practicæ ſuadelam efficacem. Cùm autem orationis veſtræ ſubſidio me ad Operis hujus conſummationem pertigiſſe confidam, liceat mihi dicere cum S. Ambroſio; *Vos ſi quam noſtro gratiam inhalaſtis*
Ambroſ. l. 3. de virg. *ingenio, veſtrum eſt quidquid ille redolet liber.*

Et quoniam quot homines, tot ſententiæ:

Si quid defæcatum eſt in ſermone noſtro, omnes legant;
Si quid decoctum, maturiores probent:
Si quid modeſtum, pectoribus inhæreat:
Si quid florulentum, ætas florentula non improbet:
Si quid impolitum, excuſet & ſuppleat prudentia.

Pergite porrò, & mihi ex me confuſione digno perſeverantem orationem pro labore vobis ſubſidiario rependite, ac gratiam *Doctrinæ & veritatis* ſacrificiis veſtris impetrate: ut cùm Dominus Jeſus Chriſtus Sacerdos ſupremus & Sacerdotum Iudex *Rationale iudicii* portabit coram Patre & univerſo orbe, inveniar inſcriptus in eo cum Tribubus à ſe electis; nam non abſque cauſa formidare debeo, ne fortè cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar. Hoc ut avertat Deus Opt. Max. impenſiùs obſecrate. Sic opto ut valeatis, & apud Dominum nunc fructificetis fœliciſſimè, ut poſtea meatis abundanter in beata æternitate.

APPRO-